

T7

*De bello Gallico III, 12-14***La flotta e la tecnica di combattimento dei Veneti**

12 (1) Erant eiusmodi fere situs oppidorum, ut posita in extremis lingulis promunturiisque neque pedibus aditum haberent, cum ex alto se aestus incitavisset, quod bis accidit semper horarum duodenarum spatio, neque navibus, quod rursus minuente aestu naves in vadis adflictarentur. **(2)** Ita utraque re oppidorum oppugnatio impediebatur. **(3)** Ac si quando magnitudine operis forte superati, extruso mari aggere ac molibus atque his oppidi moenibus adaequatis, suis fortunis despare cooperant, magno numero navium adpulso, cuius rei summam facultatem habebant, omnia sua deportabant seque in proxima oppida recipiebant: **(4)** ibi se rursus isdem opportunitatibus loci defendebant. **(5)** Haec eo facilius magnam partem aestatis faciebant, quod nostrae naves tempestatibus detinebantur summaque erat vasto atque aperto mari, magnis aestibus, raris ac prope nullis portibus difficultas navigandi.

13 (1) Namque ipsorum naves ad hunc modum factae armataeque erant: carinae aliquanto planiores quam nostrarum navium, quo facilius vada ac decessum aestus excipere possent; **(2)** prorae admodum erectae atque item puppes, ad magnitudinem fluctuum tempestatumque accommodatae; **(3)** naves totae factae ex robore ad quamvis vim et contumeliam perferendam; **(4)** transtra ex pedalibus in altitudinem trabibus, confixa clavis ferreis digiti pollicis crassitudine; **(5)** ancorae pro funibus ferreis catenis revinctae; **(6)** pelles pro velis alutaeque tenuiter confeciae, sive propter lini inopiam atque eius usus inscientiam, sive – quod est magis veri simile – quod tantas tempestates Oceani tantosque impetus ventorum sustineri ac tanta onera navium regi velis non satis commode posse arbitrabantur. **(7)** Cum his navibus nostrae classi eiusmodi congressus erat, ut una celeritate et pulsu remorum praestaret, reliqua pro loci natura, pro vi tempestatum illis essent aptiora et accommodatoria. **(8)** Neque enim iis nostrae rostro nocere poterant (tanta in iis erat firmitudo), neque propter altitudinem facile telum adigebatur, et eadem de causa minus commode copulis continebantur. **(9)** Accedebat ut, cum saevire ventus coepisset et se vento dedissent, tempestatem ferrent facilis et in vadis consistenter tutius et ab aestu relictae nihil saxa et cautes timerent; quarum rerum omnium nostris navibus casus erant extimescendi.

14 (1) Compluribus expugnatis oppidis Caesar, ubi intellexit frustra tantum laborem sumi neque hostium fugam captis oppidis reprimi neque iis noceri posse, statuit expectandam classem. **(2)** Quae ubi convenit ac primum ab hostibus visa est, circiter ducentae viginti naves eorum paratissimae atque omni genere armorum ornatissimae profectae ex portu nostris adversae constiterunt. **(3)** Neque satis Bruto, qui classi praererat, vel tribunis militum centurionibusque, quibus singulæ naves erant attributae, constabat quid agerent aut quam rationem pugnae insisterent. **(4)** Rostro enim noceri non posse cognoverant; turribus autem excitatis tamen has altitudo puppium ex barbaris navibus superabat, ut neque ex inferiore loco satis commode tela adigi possent et missa a Gallis gravius acciderent. **(5)** Una erat magno usui res praeparata a nostris, falces praecutae insertae adfixaeque longuriis, non absimili forma muralium falcium. **(6)** His cum funes qui antemnas ad malos destinabant, comprehensi adductique erant, navigio remis incitato praerumpeban-

tur. (7) Quibus abscisio antemnae necessario concidebant, ut, cum omnis Gallicis navibus spes in velis armamentisque consisteret, his ereptis omnis usus navium uno tempore eriperetur. (8) Reliquum erat certamen positum in virtute, qua nostri milites facile superabant, atque eo magis quod in conspectu Caesaris atque omnis exercitus res gerebatur, ut nullum paulo fortius factum latere posset; (9) omnes enim colles ac loca superiora, unde erat propinquus despectus in mare, ab exercitu tenebantur.